



†.

Cum Deo.

THESES JURIDICAE

DE

XVII
1630/4

ANNUIS REDITIBUS
EMPTIONE COMPARATIS.

Quas

Auspice Trinuno Numine,

*Ex permissu Nobilis & Amplissimi Jctorum
Ordinis in celeberrima Argentinenſium
Academia,*

PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN UTRO-
QUE JURE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
publicè ventilandas proponit

THEODORUS DANCKWERTH,
HOLSATUS.

*Ad diem 16. Decembris,
Loco horisq; solitis.*



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ.

CIC. IDC. XXX.


*Excellentissimo ac Clarissimo
D. Francisco P. ...*



KOEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Cum Deo.

THESES JURIDICAE

De

ANNUIS REDITIBUS, EMPTIO- NE COMPARATIS.

THESIS I.



Curis nobis, bono Cum Deo, de Annuis Reditibus, qui Emptione comparantur, non abs re videtur, ante omnia Nominis seu Vocis REDITUS *ονοματολογία* evolvere; quod verborum cognitio quasi janua quædam sit & via ad res ipsas pronius rimandas.

I I.

Reditus igitur (sive Redditus legere placeat, neq; enim propterea dicam cuiuspiam scribemus) hic à nobis accipitur, non pro remeadi actu, seu reditione, sed istòc significatu, quo proventum seu Utilitatem alicujus rei denotat. Quomodo acceptum hoc vocabuli, à Redeundo, quod sæpius redeat seu obveniat, descendere non ambigitur.

III.

Sunt autem illi in hac latitudine usurpato Synonymæ voces aliquam multæ, utpote, Census, Pensio, Canon, Contributio, Datum, Germ. *Zins/Erbsins/Bodenzins/Gülsten/Rente/Steuw/ıc.* Quæ tamen immane quantas patiuntur differentias ambiguitatesq; non inter se modò invicem, sed & singulæ; Quas omnes explicatas hic sigillatim dare instituto nostro prohibemur. Quin potius cum in diversas species significatio modò allata iterum abeat, recensendæ istæ nobis sunt, & de qua impræsentiarum sermo potissimum institutus, indicandum.

IV.

Reditum igitur, seu proventum, dispescimus in publicum

A

&



& privatum. Publicus erit, qui publicis Personis, quatenus talibus, jure superioritatis & potestatis aut officii alicujus obvenit; Quò inter alios pertinent omnes isti modi, quibus seu *Ararium*, seu *Fiscus*, sustentatur & locupletatur, quibusq; Respub. non potest carere magis quàm humanum corpus nervis. Quales Reditus Regaliorum minorũ nomine indigitare usus obtinuit, quorumq; plura genera sunt, quam ut hic explicari debeant; Et est ea provincia Feudistarum ad *c. unic. Quæ sint Regal. ac Politicorum*, ubi de Juribus Majestatis ipsis agitur.

V.

Privatus Reditus, qui ad Privatos, quæ tales, redit, vel ex Nostro est, vel ex alieno. Ex Nostro tot modis Reditum percipimus, quot modi dantur, rebus nostris non ad necessitatem tantum, sed & ad lucrum, utendi fruendi (qualem Usumfructum *Dd.* vulgò Causale vocare placet) sive id fiat per Fœnerationem, aut locationem, aut permutationem, sive quo alio contractu seu negotiatione; de quibus melius consulueris Mercurialium aliquem de grege virum, quàm Philosophos, ut Cicero testatur, licet & his ditescere in proclivi esset, modo hoc agerent, si Antesignano eorum credimus.

VI.

Ex alieno Reditus pro diverso constituendi modo duplex à *Dd.* traditur. Vel enim Qui dominus erat rei alicujus, eam pleno jure, & quoad Directum, & quoad Utile dominium (retineamus enim nunc Magistralem distinctionem) aut etiam quoad utile tantum, in alium transfert, reservato sibi certo Reditu annuatim ab accipiente præstando; Et hunc Reditum seu censum Reservativum appellant plerique omnes, quòd qui dominus prius erat, translato dominio, jus hoc sibi reservet tamen; alii Fundium.

VII.

Vel qui dominus Rei alicujus non est, ab ejus domino, aut cui aliàs jure hæc potestas competit, jus tale sibi constitutum accipit, unde Constitutivi huic nomen inditum, quem nonnulli consignativum, quidam Impositivum vocare amant. Et apud Germanos propriè dicitur *Rent / Zins / Gilt*. Hic rursus Titulo vel lucrativo, puta donatione, legato &c. acquiritur; vel oneroso, ut

Per-

3.
Permutatione, Transactione, in solutum datione, Emptione, &
aliis plerisque modis.

VIII.

Inter haec recensitas seu species seu modos, postremum hunc eligere, & de istoc Annuo Reditu Constitutivo, qui Emptionis titulo comparatur, praecipue agere fert animus. Ubi hoc praemittendum est, cum Reditus vocabulum, ejusque Synonyma, ut pleraque hujus notae alia, nunc jus percipiendi praestationem annuam, nunc ipsam rem praestandam denotent, priorem nos significationem hic potissimum attendere.

IX.

Qua ratione Reditum annuum (quanquam periculosa ea res est) definimus: Jus Reale, percipiendi annuatim ex re fructifera, aliena, quae tali, quaeque nostra prius non erat, certam praestationem; emptione comparatum. DEFINITIO.

X.

Genus constituimus Jus, quod commune ipsi est cum aliis & tantum non infinitis juris speciebus, a quibus tamen subsequentibus verbis, quae vicem sustinent differentiae specificae, discriminatur, ut jam jam patebit.

XI.

Diximus itaque; *Jus Reale*. Quia enim omne Jus, ad secundum Juris Objectum pertinens, duplex est, In Re, & ad Rem, unde etiam Actionum duo genera, Reales scilicet & Personales oriuntur, prius illud Reale nominare licet, quod & pertinet Redituum jus; posterius, Personale. Nec propterea tamen probandam habemus Vultejii haeresin, Obligationem ad Personarum Jus, adeoque ad primum Juris objectum, nemine admodum plaudente, referentis.

XII.

Diximus; *Ex re fructifera*. Neque enim ex qualibet re, sed ex frugiferis tantum, quaeque aliquam sui utilitatem praestant, Reditus percipi potest aut debet. Quo de infra agetur pluribus.

XIII.

Sequitur in definitione: *aliena*. Ut excluderemus Canonem in Emphyteusi, Servitia in feudo, & quae sunt ejus generis. A 2 alia.

aliæ Utilitates, quas ex propria sua re domino obvenire, nemo non videt. Cæterum rem hic laxius capimus, ut & Personam alterius comprehendat; Quod infra latius deducetur.

XIV.

Nec frustra addidimus: *Quæ tali*. Veriti scilicet, ne aliàs Publici Reditus sub definitione laterent, qui jam referri huc nequeunt. Nam cum dominium duplex sit, aliud Universale, seu Jurisdictionis, quò sensu Imperator totius mundi Dominus dicitur; aliud Particulare seu privatum, manifestum hinc evadit publicos Reditus, Rebus pub. sustentandis excogitatos, de subditorum bonis exigi, non quatenus illorum propria sunt jure privati, sed quatenus Majestas jus supremum in iis sibi vindicat, adeoque hoc respectu de re propria. Et similis quodammodo ratio est in reliquis. Quanquam publici Reditus aliâ etiam ratione hinc removentur. Quin & rejicit hæc particula à definito jus acquirendi lucrum de re, duobus pluribusve communi, quia ex ista socii lucrantur, non quæ aliena, sed quæ propria est.

XV.

Quod porro ulterius subnectitur: *Quæq; nostra prius non erat*, idèd pertinet, ne quis Reditum seu censum quem Reservativum supra diximus, per cavillum huc trahat. Sufficit autem nostram non fuisse tum cum Reditus desuper constitueretur.

XVI.

Requirimus autem insuper *Certam præstationem*, hoc est, quæ regulariter & sui naturâ, non autem ex accidenti, certa quantitate, numero, pondere, aut mensura, ex partiû conventionem determinata sit. Quo posito, Ususfructus, & quæ quasi species ejus est, Antichresis, & item Usus, ac similia jura, huc non pertinent, utpote quorum incertus est regulariter ac vagus modus. Quæ etiam ratione, de Incertis Reditibus, puta, quantos iste v. c. fundus annuatim dabit, nobis hic propriè sermo non est. Neq; enim istos apud Germanos nomine *Rent/ Zins* aut *Gülten* venire putamus.

XVII.

Tandem v. ista verba: *Emptione Comparatum*, de Reditibus, aliis titulis modisve comparatis aut constitutis, hinc non agi, satis demonstrant.

18. Ita

XVIII.

Ita explicatâ definitione, proximum est, ad **DIVISIONEM** seu **DIVISIO** species hujusmodi Redituum evolendas accedere. Ex quanquâ possunt esse variæ, præcipuas tamen duntaxat afferemus. Ergò Ex **Causa Efficiente** Reditus dividitur in eum qui est ex ultima voluntate, & qui inter vivos; quorum ille Legato, seu Fidei commisso, seu mortis causa donatione &c. hic verò alio aliquo titulo, præsertim venditionis, de quo hîc agimus, acquiritur. Sed hæc divisio latior est quàm pro nostro instituto.

XIX.

Ex **subjecto**, Reditus dividi potest in **Personalem**, **Realem**, & **Mixtum**. Ille est, qui Personis tantum imponitur & cohæret; Ille, qui in Re tantum constituitur; Hic, qui Rei simul & Personæ innititur. Personalis iterum duplex est; Mere personalis, qui hypothecam nullam annexam habet; Non merè, cui pro majori securitate res loco hypothecæ adjicitur. Eodem modo Realis vel hypothecam habet annexam, vel non. Sed & Mixtum, cum hypotheca constitui posse, vel sine ea, dubium non est.

XX.

Ex **Objecto**, seu re præstanda, Reditus alius est pecuniarius, alius fructuarius, prouti scilicet annuatim vel pecunia certa, vel res fungibilis aut quæ aliàs in fructu est, ut vinum, frumentum, animal, lignum &c. præstatur. Unde illi Germanorum Termini, *Pfenningsins/ KornGülten/ &c.*

XXI.

Ex **Adjuncto**, scilicet modo & Termino durationis, conventionem expresso, Reditus alius est **Temporarius**, alius **Perpetuus**. Ille qui ad Tempus aliquod conventionem denominatû, nec tamen in potestate contrahentium, quoad scilicet illis placebit, relictû; Hic qui perpetuò & jugiter, aut saltem, quoad alterutra partium volet, præstandus erit.

XXII.

Temporarius iterum vel definitus est, & ad certum tempus, v. c. decem annos; vel Indefinitus, ad incertum tempus, puta ad vitam alicujus comparatus. Uterq; vel ita emitur, ut tempore elapso venditor precium restituere cogatur, ad exonerandum se ab

A 3

alte

ulterioribus præstationibus, si Emptor hoc velit; vel ita, ut illud retineat, libereturq; solo temporis lapsu.

XXIII.

Perpetuus Reditus itidem bifariam dispescitur; vel enim Redimibilis est, qui aliquando redimi potest, ab una parte contrahentium, etiam alterâ invitâ; vel Irredimibilis, qui altera parte invitâ redimi non potest. Ubi obiter notandum, quamvis Redimibilem alii ad Temporarium referant, quòd illis videatur ad tempus aliquod constitutus, nos tamen alios secuti, ad Perpetuum referre maluimus, cum possit & perpetuò durare. Rursus in Redimibili Reditu potestas redimendi confertur (1) vel in voluntatem Venditoris, seu censiti; vel (2) in potestatem Emptoris seu censitoris; vel (3) in potestatem Utriusq;.

XXIV.

De hisce speciebus, ex Adjuncto desumptis, non uno modo quæri contingit, quænam earum, & quatenus hodie per novissimum jus in Imp. Rom. licitæ sint vel prohibitæ. Quandoquidem enim Annuorum Redituum Emptio maximam habet cum fœnore cognationem, & verò illud exercere regulariter prohibitum est Imperii constitutionibus, hinc factum, ut libertas paciscendi hoc casu vehementer accisa sit, isti fini, ne contractus hic in fœnoris naturam degeneret. Quanquam & aliæ aliarum prohibitionum causæ subsunt, ex æquitate vel iniquitate aliqua desumptæ.

XXV.

Primò ergo ad Reditum Redimibilem ex parte Venditoris quod attinet, de ejus justitia adeo non dubitatur, ut etiam vigore Constitutionum Imp. pactum de Redimendo hoc modo, Emptio Redituum videatur tacitè inesse, censeaturq; quasi de ejus natura, aut, si mavis, substantia, in tantum, ut si contrarium conventum sit, id non valeat, per textus in Reform. Polit. anno 1530. tit. von wucherlichen Contracten §. vnd nach dem. Ord. Polit. de anno 1548. Eod. tit. §. vnd nach dem. Ord. Pol. anno 1577. tit. 17. §. vnd nach dem.

Sed & planè libera nulloq; modo restricta debet esse hæc potestas Redimendi à parte Venditoris, scilicet quandocunq; illi
libi-

libitum fuerit, hoc est, ut non cogatur præstare amplius pensiones si acceptum precium restituere maluerit; & si voluerit eas præstare, Emptor non possit precium repetere. Unde si conveniat, ut Venditor intra certum tempus redimere possit Reditum, postea verò non; aut ut ex certo demum tempore redimere liceat, non autem prius; hujusmodi pacta nullius momenti censentur, neq; Venditorem obligant. Est tamen inter hæc duo nonnulla differentia. Priori enim casu pactum tale vitatur, salvâ manente Emptione; posteriori verò vitatur, ita ut censeatur contractum meum Mutuum cum Usuris.

XXVI.

Ex quibus Secundò patet, quid statuendum, si Redimendi potestas in arbitrium Emptoris conferatur. Utcunq; enim in aliis Empt. Vend. hoc licitum sit, in hac tamen materia non admittitur, quia pugnat cum liberrima redimendi potestate, quam Venditori competere diximus, si is ad Emptoris libitum redimere cogatur. Tertio etiam inde liquet, si Utriusq; partis arbitrio potestas hæc data sit per conventionem, illam Quoad Emptoris personam non subsistere.

XXVII.

Quartò de Irredimibilibus Reditibus disputatur, an Imperii Constitutionibus hodie sublatis, an verò hæc ad illos trahenda non sint. Sanè sublatis esse, verba dictarum Constitutionum innuunt, quæ Venditori liberrimam redimendi facultatem reservari volunt, uti jam diximus, quam cum Irredimibilitate non subsistere, in aperto est. Verum sunt nonnulli, qui istas Constitutiones ad Redimibiles solam trahunt, probantq; hanc suam sententiam ex verbis: vnd nach dem die Widerkauffs Gültten/2c. quibus satis doceri putant, de Redimibilibus tantum ibidem agi, & liberam redemptionem requiri in oppositione ad Emptorem, aut ad certum tempus, vel ex certo tempore, nõ ad Irredimibiles Reditus. Nos autem calculum nostrum illis non dabimus. Altera enim opinio satis probatur per ea quæ hæcenus allata sunt, tum non obscure colligitur ex d. Ord. Polit. de an. 77. tit. 19. §. Hierauff senen/2c. Et firmatur etiam Authoritate magnorum in Germania Ictorum. Ac insuper de fructuariis redivibus dubio hoc caret, per

per d. text. d. Ord. Polit. tit. 19. §. fin. ibi: dazu auch dem Verkauf
fer/ re.

XXVIII.

Quintò de Temporario Reditu, si ita comparetur, ut tem-
pore elapso precium restituendum sit, dubium non est, quin ho-
die improbetur, cum hic à fænore quàm proximè absit. Idq; tam
in incerto quam certo tempore locum habet. Altero verò casu in-
terdum tolerabitur, ut videre est in Reditibus annuis, ab aliquo
ad vitam comparatis. Licet enim fieri possit, ut spe longævæ vitæ,
& ad rationem multorum annorum, magno precio Reditus ema-
tur, qui tamen morte interveniente semel tantùm atq; iterum sol-
vatur, adeoq; Venditor totum precium quasi lucretur, nullo vel
parvo contrà dato; aut ex adverso spe brevioris ætatis parvum
precium statuatur, & tamen Emptor per aliquam multos annos
Reditibus fruatur, adeoq; cum alterius damno locupletetur, At-
tamen eo non attento Usus obtinuit, valere hujusmodi contra-
ctum, idq; propter incertitudinem lucri & damni, ex instabilita-
te humanæ vitæ proveniente, ob quam non potest dici interveni-
re læsio. Planè ut in Emptione jactus retis evenit, ubi ob eandem
rationem læsionem non attendi, tralatitium est

XXIX.

2. Porro Ex Adjuncto Reditus alius est Antiquus, qui pluri-
bus ab hinc annis constitutus est; alius Novus, qui nuper. Alio
sensu Antiquus dici potest, qui jam à primo acquirente manavit
ad alios; Novus, qui ab aliquo primùm acquisitus est. Quo sensu
Feudum in antiquum & novum dividitur. Et de novo hujusmo-
di Reditu nobis hic potissimùm agitur.

XXX.

3. Tandem ex Adjuncto, Reditus alius est Feudalis, qui tenetur
jure Feudi; alius Allodialis, qui jure allodii. Et possent talium
specierum plures cumulari, si nunc hoc ageretur.

XXXI.

**EFFICI-
ENS.
Personæ
constitu-
tæ.**

Post recensitas species seu divisiones commodus est ad Ef-
FICIENTEM causam transitus, ubi se primò offerunt Personæ, quæ
Reditus annuos aliis constituere possunt. Itaque cum Reditus
constitutio Alienationis quædam species sit, posse omnes con-
stat,

stat, nisi si qui & quatenus specialiter jure prohibetur res suas vel
sibi commissas alienare. Quid ergo de Pupillis, Minoribus, Furio-
sis, Prodigis; neq; non de Procuratoribus, Tutoribus, Admini-
stratoribus, & qui sunt hujus classis alii, hoc in articulo statuendū
sit, id totum aliunde & ex ipsis juris principiis repetendum erit.

XXXII.

Pari ratione, de Vasallo, Emphyteuta, bona restitutioni ob-
noxia possidente, non multum erimus solliciti, an & quatenus
Reditum constituere possint. Cum juris ratio dicat, in suum
quidem præjudicium hoc illis licere, in aliorum verò, quorum
aut ea res est, aut restituenda olim, non item. Durabit itaq; talis
Reditus, quandiu Constituentis seu dantis jus in re manet, quo
resoluto, resolvetur & jus accipientis.

XXXIII.

Titulus.

Personas excipiunt Modi Acquirendi seu Constituendi. Sed
hac in parte accuratè distinguendum, inter Titulum, & Modum
Constituendi propriè dictum. Titulus enim dicitur actus aliquis
prævius (si non tempore, saltem naturâ) super Reditu constitu-
endo, ex quo Obligatio tantum oritur, & jus ad Rem, indeq; pro-
manans Actio personalis. Modus autem constituendi, prouti præ-
fatus accipitur, aliud quid præterea largitur, Jus scilicet in Re, &
convenienter Realem Actionem.

XXXIV.

Scilicet ita res habet, Ut ut Titulus sit fundamentum ac-
quirendi dominii, seu alterius Juris Realis, attamen eo solo hæc
non transferuntur, sed ultra illum in corporalibus Traditio, in
Incorporalibus quasi Traditio requiritur. Mirum enim quantū
hæc inter se distant, Promissio alicujus juris, & jus realiter consti-
tutum. Promittitur siquidem, cum e. g. Venditio, stipulatio, aut
alius contractus actusve intervenit; Constituitur, cum Usus juris
præstatur, adeoq; quasi possessio traditur.

XXXV.

Fatendum tamen est, hæc duo nonnunquam concurrere
& quasi confundi, ut in Titulis ex ultimis voluntatibus, aut suc-
cessionibus ab intestato, ortum trahentibus, videre est; Nonnun-
quam etiam Titulos, suâ naturâ Obligationem tantum tribuen-
tes,

B



tes, irregulariter Jus reale largiri, & nudà conventionē præviam actionem realem dari, nemo ignorat.

XXXVI.

Titulus itaq; in Annuis Reditibus, de quibus nunc agimus, est Emptio. Quare quemadmodū omni Emptioni tria tanquam Essentialia Requisita inesse debent, Consensus, Merx, & Preciū, sic in Redituum annuorum Emptione nihil horum desiderari necesse est. Ac de Consensu quidem tanquam omnium Conventionum necessaria maxime parte, nihil attinet hic dicere, de reliquis igitur videndum.

XXXVII.

Merx in hoc nostro contractu est non res quæ præstanda venit annuatim, seu pensiones solvendæ, sed ipsum jus percipiendi annuatim pensiones. Planè ut in Usufructu, Jure pascendi, venandi, collectandi &c. vendito, nemo Mercem dixerit ipsos fructus, aut pastum, aut feras, aut pecuniam collectam, sed Jus reale, habet omnes Utilitates & commoda adferens.

XXXVIII.

Id quod malè observatum, in errorem pertraxit haut paucos, magni cæteroquin nominis Jctos, ut differentiam inter nostrum contractum & Fœnus, pervidere nequiverint. Quo de pluribus agemus I. th. 124. & seqq. & th. 57. & seqq.

XXXIX.

Precium est pecunia numerata (nam in ea solū id consistere debere, pervulgati juris est) qua Reditus æstimatur. Sicut enim res cæteræ omnes nummō æstimantur, unde is mensura quasi quædam audit apud Philosophos pariter & Jctos, ita etiam Reditus annuus eo æstimari potest debetq;.

XL.

Unde etiam, sicut reliquæ res variam, pro circumstantiarum varietate, ac non rarè pro ridicula & stolida cujuscumque affectione absurdam recipiunt æstimationem, adeoq; non eodem semper & ubi vis locorum venduntur precio, sic quoq; unum idemq; & ubi vis æquivalens Reditus precium absolutè statui nequit, sed illud opidò quam varium est & incertum

XLI.

Variatur namq; pro diversitate 1. vel Locorum. Nam aliter in Germania, aliter in Gallia, aut Italia, aut Hispania, aliter in Belgio, aliter alibi, etiam in particularibus harum regionum locis, Reditus emi, constat, prouti scilicet istis in provinciis commercia vel sunt frequentiora, vel rariora, adeoq; pecuniæ major minorve Usus & lucrum.

XLII.

2. Vel Temporum. Sic olim vel in sola Germania nunc decem, nunc 11. nunc 12. 13. 14. 15. nunc 20. florenis, Reditum unius floreni annuatim præstandum emptum fuisse antiqua regesta docent; & testantur id ipsum famigeratæ Martini 5. & Calixti 3. Pontificum Extravagantes, de Empt. & Vend. Cum hodie ex Imperii constitutionibus præciò centum e.g. aureorum, annui quinque nec plures, emi debeant.

XLIII.

3. Vel Pactorum Adjectorum. Quia prouti in favorem vel Ementis vel Vendentis ea apponuntur, ita & præcium vel augeri vel minui æquius est. Quò fit, ut aliud procul dubio censendum sit justum præcium Reditus Perpetui, aliud Temporalis; aliud item Redimibilis, aliud Irredimibilis; aliud deniq; ad certum, aliud ad incertum tempus, puta, Vitam Ementis, comparati. Eademq; ratio est in aliis pactis.

XLIV.

Sed ne in immensum cresceret hic audacia avarorum, & panderetur janua feneratorum nequitia, videmus laudabiliter in plebisq; proviciis ac civitatibus certum huic præcio modum pro tempore positum esse, vel Consuetudine diutina, vel expressâ lege, ultra quem progredi nefas sit.

XLV.

Quamvis enim in emendo & vendendo naturaliter se invicem circumvenire concedatur, si Jcto credimus, adeo ut nisi læsio ista ultra dimidium justii præcii ascendat, eo nomine, cæteris paribus, nulla competat jure Civili Actio, Id tamen in Redituum Emptione tam facilè concedendum non erit, ne fãnorì alioquin vicinum admodum Contractum, Usurarium planè illicitumq; hac ratione reddamus.

B 2

46. Ergo



XLVI.

Ergo ne à justitiæ tramite hic deflectamus in judicando, de contractus hujus æquitate vel iniquitate pronunciaturi, ante omnia, quid ejus tempore, istic loci, lege vel consuetudine legitimâ obtinuerit, inspiciendum est. Quod ipsum si sufficientem decisionem non suppeditet, reliquum Boni viri, id est, æqui Judicis arbitrio, quod omnium legum defectum sarcit & supplet, commitemus.

XLVII.

Et hoc in pecuniario Reditu simpliciter ita procedit, caretq; res difficultate; at in fructuario illud insuper observandum, ut fructus ipsi annuatim præstandi prius revocentur ad justam æstimationem, & tum post ratio ineatur, de Emptionis precio. Quod si juxta præsentem legem aut consuetudinem ritè statutum sit, securus utiq; Emptor erit, utcunq; procedente tempore fructuum æstimatio recipiat augmentum.

XLVIII.

His ita in genere de precio præmissis, descendamus ad speciem, & quid in Romano-Germanico Imperio hoc in puncto reperiat, sancitum, videamus. Diximus igitur jam supra th. 42. varium inibi olim fuisse precium, sed hodie Constitutionibus Imperii ita illud determinatum esse, ut precio centum e. g. florenorum, annuus Reditus quinq; florenorū emi debeat. Secus si fiat, contractum habendum pro Usurario illicitoq;, atq; ideo à Magistratibus, etiam ex officio, irritum & invalidum pronunciandum, & sæverè in delinquentes animadvertendum. Textus ad id habentur in locis allegatis supra th. 25.

XLIX.

Circa has Constitutiones aliquot dubitationes oboriuntur. Primò enim Quæritur, an eæ ad futuros tantùm casus referendæ sint, an verò etiam ad præteritos contra hunc modum celebratos contractus extendendæ. Ubi licet videri posset, Eas præterita etiã concernere negotia, quòd ea prohibeant, quæ Usurariam pravitatem sapiunt, atq; per id omni jure vetantur, nulloq; tempore potuerunt esse justa; attamen contraria opinio verior procul dubio putanda, quam & Cameram Imperialem sequi notum est; vel quia

quia leges futuris dant formam negotiis, vel quia olim jure cāno-
nico plura quam quinq; annua emere licuit singulis centum, vel
deniq; quia ipsi allegati textus hanc decisionem probant, dum eā
loquendi formula utuntur, quæ futurum tantum tempus respi-
cit: So sollen hinfürter / &c.

L.

Deinde non de nihilo est, quod hic à quibusdam movetur,
An, si ultra præstitutum hunc modum, e. g. singulis centum, plu-
ra, puta 6. 7. vel 8. annua Empta sint, propterea totus contractus,
an verò tantum Excessus iste, vitietur, fiatq; reductio ad legitimū
modum. Et videbatur sanè prima fronte dicendum, totum con-
tractum, adjecto prohibito, & ut Constitutiones appellant, Usu-
rario pacto, irritum fieri & nullius valoris, tum quod contractus
contra legē initus sit nullus, tum quòd ipsæ Constitutiones clau-
sulis utantur, ut vocant, cassantibus & irritantibus, *Unwürdig/
Grasslos / vnd Unbündig / &c.* Verum his nihil morantibus,
statuendū intrepidè, hoc casu id quod illegitimè supraq; præsti-
tutum modum adjectum est, rejici, & ad justam quantitatem re-
ductionem fieri, adeoq; reliquum contractum salvari; non tam
quia utile per inutile non debet vitari, aut quia in simili donatio
ultra quingentos solidos subsistit, etiam absque insinuatione, sal-
tem quoad summam concurrentem, quàm quia dictæ jam sæpe
Constitut. solum excessum damnant tolluntq;, his verbis: *Was
darüber genommen / wollen wir für Bucherlich vnd Unkräftig ha-
ben / &c.*

LI.

Tandem & illud non infrequenter ventilatur, An hæ no-
stræ constitutiones contraria consuetudine abrogari, & per eam
introduci possit, ut plura, fortè 6. vel 7. vel 8. annua in singula cen-
tum emanent. Et quicquid causentur alii vel ex l. 2. C. *Quæ sit longa
Consuet.* vel de Usuraria pravitate, quo nomine excessum omnem
Impp. indigitant, Respondendum omnino ad Quæstionem Affir-
mativè. Tum quia modus iste rationis quincuncis, positivi tantum
juris est; tum quia ante has constitutiones in Imperio licitè plura
empta sunt; Tum quia hodieq; hac in parte provinciarum alia-
rum exemplis non destituimur.

B 3

52. Et

LII.

Et imò, non posse hoc tantum fieri, sed & factum in nonnullis Germaniæ provinciis, nemo ignorare potest, vel expressa lata lege, vel consuetudine tacitâ. Quid quòd, si verum amamus, fatendum sit, Constitutiones has in omnibus Imperii locis non satis promulgatas aut saltem non satis receptas esse. Et tamen credulas aures non statim dabimus Fæneratoribus, hoc quasi mantellum suæ avaritiæ prætexentibus, istas scilicet consuetudines in hac vel illa provincia, vel non promulgatas, vel non receptas, vel saltem contrario jure sublatas. Præterquam enim quod hæc omnia facti sunt, atq; ob id non præsumuntur, sudabunt etiam plus satis in difficillima Consuetudinis probatione.

LIII.

Quæ hætenus de Redituum precio attulimus, ea ad Redimibiles potissimum pertinent, de quibus & solis Textus nostros loqui, nonnulli putant. Cæterum in reliquis, nempe Irredimibilibus, aut Temporariis, certis vel incertis, quid obtineat, frustra fortè laboriosa indagine anquiritur, cum vigore Constitutionum Imp. hodie è Rom. Imp. eliminatos eos esse, supra assertum sit.

LIV.

Inter Incerti seu Indefiniti Temporis Reditus quandoquidem is qui ad vitam emitur, omni jure, etiam in Imperio Romano, receptus & approbatus est, operæ precium facturi erimus, si de vero ejus precio pauca addamus. Igitur aliis alium ponentibus modum, Andreas Gailius de communi testatur, quod Emptio hujusmodi justa censeatur ad rationem unius pro 10. vel. 12. ab unica persona, mediocris ætatis, puta 30. annorum.

LV.

Sed consuetudines locorum vel maximum hic obtinere momentum, dubitari non potest, qua deficiente, æquus judex ré ita moderabitur, ut quantum fieri potest, absit fraudis suspicio & Usuraria pravitas. Et scilicet ratio habenda est ætatis ac valetudinis, aliterq; contrahendum cum juvene ex ephebis excedente, aliter cum sene capulari; aliter item cum homine vegeto & integræ sanitatis, aliter cum eo qui Æsculapio identidem votivum gallum debet; proq; ista diversitate precium quoq; attemperandum.

LVI.

In universum autem non absurdum fuerit dicere, humanæ vitæ probabilem terminum statuendum sexaginta annorū. Nam illud quod in multorum ore est, Hominem præsumi vivere centum annos, omnium minimè probandum. Ut ut enim alicubi in jure nostro longissimus humanæ vitæ terminus perhibeatur spacium centum annorum, ex eo tamen non nisi ridiculè quis colligat dictam modo conclusionem; cum textus juris nostri loquantur tantum de possibilitate, & rarissima contingentia; ex qua elicere velle juris aliquam præsumptionem, quæ id quod ut plurimum fit & probabiliter, enunciat, id verò est ex arena funiculumnectere.

LVII.

His ita constitutis, superest ut minuamus illorum opinionem, qui Emptionem Reditus pecuniarii (nam fructuarii aliam esse rationem, pleriq; non inficiantur) nihil aliud esse quam Fenus, seu Mutuum cum Uluris, seu palliatam usuram, adeoq; Emptionum-Venditionum numero eximendam, seriò statuunt. Quod ut rectè atq; ordine fiat, audiamus illorum aliquot argumenta.

LVIII.

Initiò, inquit, In pecuniariorum Redituum Emptione nulla Merx reperitur, cum pensiones, quæ emi dicuntur, sint numerata pecunia; hanc autem mercis vice fungi non posse constat, cum merx & precium debeant esse diversa, & pecunia quæ omnium rerum mensura est, seipsam mensurare non possit. Et ergo Emptio hæc verè talis non est, quippe alterâ sui parte truncata, sed incidit in Mutuum cum Uluris.

LIX.

Deinde sic colligunt; Ubi vera Venditio est cum pacto retrovendendo, ibi factâ reemptione res olim vendita reuertitur, reddito precio. Atqui in Relutione seu reemptione Redituum hoc non fit; Quia Venditor qui hætenus pensiones solvit, volens eas redimere, nihil ex iis recipit, quanquam precium seu sortem olim acceptam renumeret. Ergo hic vera Venditio non est, sed palliata Usura.

60. Sed

LX.

Sed qui ita arguantur, non advertunt, id se pro confesso accipere, quod tamen etiam atq; etiam negatur. Quis enim unquam propriè locutus, Mercem hic constituit Pensiones annuatim præstandas, quæ commoditates tantum sunt & effectus Juris Reditus. Quale jus mercis vice verè fungitur, pecuniâq; certâ, ut reliqua jura, commoditatem aliquam adferentia, mensurari seu æstimari potest. Neq; igitur mirandum, quod in redemptione, pecuniæ seu pensiones solutæ non recipiantur; non enim iste, sed ipsum jus capiendi eas annuatim, quod venditori erat onerosum, redimitur & sistitur. Planè ut in Usufructu vendito, sed redimendo, perceptos fructus nemo recipit, sed se istac servitute in futurum tantum liberat. Sed & quod pecunia pecuniam æstimare nequeat, id adeo simpliciter concedendum non est, saltem secundariò & impropiè. Et insuper, idem sui ipsius mensuram non esse, accipiendum est de eodem modo & respectu.

LXI.

Tum autem ex eo laborare hunc Contractum clamitant nonnulli, quòd nulla hîc inter Mercem & precium intercedat proportio, sed læsio sæpe ultra duplum, vel triplum, & amplius, fieri possit. e. g. quando Reditus s. aureorum, centum aureis emptus, per aliquot secula quotannis solvitur. Sed hi cum in simili luto hærent, tum eadem operâ sustulerint omnes emptiones, quando evenire frequentissimè solet, ut fructus empti prædii post aliquot annorum curriculum precium multis modis excedant.

LXII.

Verùm adhuc existimant, pecuniam, tanquam rem sterilem, hîc pecuniam tamen parere, & supra sortem aliquid accipi, seu illi accedere; Ideoq; non posse non esse Usuram. In quo duplici vice largiter peccant; & quòd annuas pensiones tanquam accessorium solvi putant, cum istæ tamen, tanquam effectus quidam Juris Reditus, principaliter sint in obligatione; & quod de precio, ipsi sortem vocant, repetèdo primariò hîc agi opinionis quodam errore autumant; cum ut precium aliquando reddatur, principaliter non intendatur à contrahentibus, totumq; hoc situm sit in arbitrio accipientis, an & quando illud refundere velit. Quæ omnia in Mutuo cum Usuris longè aliter se habent,

LXIII.

10.

Tandem verò, ut hinc abeamus, quæ de defectu reciprocae obligationis, item, quo non nudu consensu, sed re iniri hic contractus videatur, quidam objiciunt, ea levicula sunt, & sola negatione diluenda, ut ipse conflictus docebit, si cui hæc movere volenti fuerit; Hac vice satis habuimus, intento digito ostendisse, contractum nostrum veram Emptionem jure merito audire, immeritò Usuram; plures differentias fortean infra colligemus.

LXIV.

Haftenus de Titulo Annuorum Redituum; nunc de Modo constituendi propriè dicto tribus verbis aliquid subjiciendū. Modus acquirendi. Perfectâ itaq; Emptione, suisq; partibus absolutâ, acquiritur porro Jus Annuorum Redituum fictâ Traditione, quæ est patientia utendi istoc jure. Cum enim nuda conventionem, ut jam supra occupavimus dicere, regulariter Reale jus non constituatur, sed insuper requiratur Traditio, & verò res Incorporales propriè tradi nequeant, leges hunc defectum suppleturæ, patientiam Utendi juris alicujus loco Traditionis, vel Quasi, habent, diciturq; istradere, qui Usum juris præstat.

LXV.

Illud verò nostro casu in eo consistit, si Venditor solvat annuas pensiones, easve Emptorem percipere patiatur. Eo enim ipso Emptorem in possessione juris sui constituit, idq; ipsi quasi tradit. Verùm quot pensionum præstationes ad id requirantur, ut Jus Reditus ita quasi traditum, adeoq; verè acquisitum censeatur, an plures, an una sufficiat, in ambiguo est. Ac licet hac in re, ut & similibus, multum detur Judicis arbitrio, regulariter tamen unicam præstationem sufficere putamus; quomodo in reliquis jurbus, quorum usurpatio non facilè ex familiaritate & sine causa concedi solet, unicus actus quietus, & cum adversarii patientia obitus, ad introducendum quasi possessionem satis esse putatur.

LXVI.

Sic habuimus Causam Efficientem, sequitur MATERIA juris nostri, & primò quidem In qua seu subjectum. Id quod duplex est, Activum & Passivum. Potest enim Reditus dupliciter considerari, vel respectu Emptoris, quatenus est commodum aliquod, quod

MATERIA.
Subjectū.

C

quod ipsi præstatur; vel Venditoris aut Rei oneratae, prouti est onus ab ipso vel exinde præstandum; planè ut in servitutibus contingit, quæ aliter considerantur in dominante, aliter in serviente.

LXVII.

Subjectum igitur passivum (ut de illo amplius agamus) est res ista ex qua Reditus præstatur, seu cui illud justanquam fundamento innititur. Dicitur à nonnullis Terminus propinquus. De quo sciendum in genere, quod Reditus super iistantum rebus constitui debeat, quæ sunt fructiferae, sive naturaliter, sive civiliter; largissimè accipiendo fructus vocabulum, quod jam supra in Definitione innuimus. Unde in rebus sterilibus, & quæ planè nullum sui Usus præbent, aut præbere possunt, non rectè constituitur. Absurdum enim fuerit, & quasi Contradictionem implicans, Reditum præstare inde, ubi non sit Reditus.

LXVIII.

Sed ista Res, seu Subjectum, vel Persona tantum est, vel Res tantum, (pressius jam accepto hoc vocabulo) vel Utraq;. Super Persona tantum fundatus intelligitur Reditus (unde Reditus Personalis) 1. si illa expressè & specificè ad id tantum denominata sit, nullâ aliâ re addita. 2. Si indefinitè ab aliquo constituatur Reditus, neq; exprimat Subjectum ullum cui in hæreere debeat. Hoc enim ita interpretandum, quasi persona tacitè censeatur onerata. Super Re tantum, (unde Reditus Realis) constitui dicitur, si res aliqua certa & determinata exprimat, super & de qua tantum Reditus debeat, ita ut in persona constituentis jus reale nullum competat.

LXIX.

Super utraq;, id est, tam Persona quàm Re, (unde Reditus Mixtus dicitur, qui in Effectu in Personalem resolvitur) constituitur. 1. si æquè principaliter tam Persona quam res aliqua certa obligetur, ita ut utrum horum libuerit convenire liceat. 2. Si subordinatè & in eventum, puta, ut certâ aliquâ & determinatâ re sublatâ vel amissâ, persona adhuc teneatur reali jure obstricta. 3. Si comparetur generatim super omnibus bonis, vel indefinitè super bonis, nullâ expressâ certâ re, tum enim bona primùm, iisq; deficientibus persona oneratur.

LXX.

Circa hæc notandum, Quod diximus de Persona, dubitatione non carere. Sunt enim nonnulli, qui super eâ Reale Jus Redituum fundari posse negant, sive simpliciter, sive in eventum, re scilicet aut bonis sublati. Idq; ita Pii V. Pontificis bulla cautum est, quæ hodie radiat in VII. decretalium. Sed nos nihil obstare putamus, quo minus illud legitimè fiat, adminiculante cum primis generali Consuetudine Germaniæ.

LXXI.

Præterea advertendum hîc, ne subjectum seu rem Reditui suppositam, cum adjunctâ hypothecâ confundamus. Sæpe enim fit, ut res aliqua denominetur, non tanquam juris Reditus subjectum, sed ut pignus, ad majorem securitatem; Quæ duæ res sunt distinctissime; cum fieri possit, ut & Reditus. e. g. ex prædio aliquo debeatur, nec tamen illud propterea hypothecatum sit, & vice versa prædium aliquod sit hypothecatum ob Reditus præstationem, qui tamen non exinde, sed vel ex alio, vel ex persona, debeatur. Cujus rei magnus apparet effectus in Actionibus rectè intentandis, ut & in Articulo de Extinguendo seu finiendo Reditu. Sed & non rarò contingit, ut res aliqua denominetur, non tanquam Subjectum Reditus, neq; etiam tanquam Hypotheca, sed nudè tantum ad solutionis determinationem, ut ea minoribus ambagibus Creditori seu Emptori præstari queat.

LXXII.

Porro, non in Immobili modo Re, sed & Mobili, Reditus constitui potest, puta, animalibus fructiferis. Eò amplius in Incorporali æquè re atq; Corporali, rectè constituitur. Sic super Usufructu quem quis habet, alteri Reditum constituere potest. Quin imò Reditus constitui potest in Reditu, puta, ut aliquis ex Reditu suo centum aureorum, alteri vendat Reditum aureorum quinquaginta.

LXXIII.

Materia Circa quam, seu Objectum (alii vocant Terminum, Objectum seu Terminum remotum,) sunt Res, quæ jure Reditus deberi & solvi possunt. Tales sunt non tantum pecunia numerata, sed & res fungibiles, imò plerq; omnes quæ sunt in fructu.

C 2

acci-

LXXIV.

Quòd tamē itā accipiendum, nisi speciali lege alicubi diversum reperiatur sancitum; quod nonnullibi factum est, æquitatis intuitu; cum durum admodum sit, ut qui vili annonā pro certa pecuniæ summa annum Redituum e. g. certæ mensuræ fructuum vendidit, postmodum augescente in immensum rerū precio pro eadem pecunia eandē mensuram præstare cogatur.

LXXV.

Sic in Anterioribus Austriæ provinciis Reditus fructuarii peculiari Principum constitutione emi prohibentur. Idemq; de regnis Hispaniarum ac Galliarum nonnulli testantur, in quibus fructuarii Reditus partim sublatis, partim ad pecuniarios redacti sint.

LXXVI.

Sed & in Romano-Germanico Imperio per Ord. Polit. de an. 77. tit. 19. §. desselben gleichen/ & seq. Reditus fructuarii non quidem prohibentur emi, sed tamen ad pecuniarios quodammodo rediguntur, & vehementer acciduntur, ita ut empto annuo reditu fructus alicujus certæ mensuræ, non plus e. g. in frumento, oleo, vino, &c. solvi necesse sit, quam quod resolutum in pecuniā, juxta æstimationem ejus anni quo solutio facienda, justā proportionē respondeat accepto olim precio, computatis scilicet quinque in singula centum, utcunq; illud mensuram integram, de qua cōvenerat ab initio, non expleat.

LXXVII.

Quæ constitutio ad futuros tantum casus procul dubio pertinet; Nam si idem dicendum esset de Reditibus fructuariis, ante aliquot secula, cum summa esset omnium rerum vilitas, bonā fide emptis, profecto innumeræ tam Ecclesiæ quàm publicæ privatæq; personæ ad certissimam egestatem nullo suo merito redigerentur. Conf. quæ suprā th. 47. dicta sunt.

LXXVIII.

FORMA. Haftenus de Materia Juris nostri. FORMA ejus unica & simplex dari non potest. Præterquam enim quòd Formæ rerum pleræq; nos latent, Vocabulis etiam ut plurimum destituimur, quibus eas efferamus. Itaq; ex collectione Proprietatum & Requisitorum, nonnunquam etiam Accidentium coacervatione, forman.

mandus unus aliquis Conceptus simplex, qui rem in esse suo constituat, faciatq; differentem ab omnibus aliis. Hujusmodi Proprietates & Requisita, ut in omni alio jure, ita etiam in Reditibus Emptione comparatis, conquirenda passim sunt ex legibus statutis & consuetudine; Neq; tamen necesse est, quæ alibi sparsim tradidimus, ea hic simul recoquere.

LXXIX.

Hic jam non incommodè tractari posset, de substantialibus Naturalibus, & Accidentalibus, (ut nostri loquuntur) Emptionis Redituū, sed quia ex generali notione Emptionis ea maximam partem dependent, istæc mittemus, de ADIUNCTIS quibusdam, quæ aut Reditum Comparationi accedere, adeoq; huic juri formam, saltem accidentalem, dare, aut aliàs ei inesse solent, visuri.

ADIUNCTA.

LXXX.

Ad Adjuncta igitur hæc pertinent Pignora seu Hypothecæ & Fidejussiones, quæ in Reditus comparatione, ut in aliis contractibus, majoris securitatis gratiâ assumuntur, unde & ex generali earum ratione, quid in hoc juris articulo de iis statuendum sit, arcessi debet, Et confer de hypotheca supra th. 71.

Pignora & Fidejussiones.

LXXXI.

Sed principem locum inter hæc Adjuncta obtinent Pacta, quæ varia à Contrahentibus apponi consueverunt, quorum tamen nonnulla licita, nonnulla verò illicita sunt, Et hæc vel contractum vitiant, vel vitiantur ipsa. Hujusmodi pactorum quædam afferre in medium, & quæ admittantur, quæ secus, disquirere, inordinato tamen ordine, operè erit.

Pacta

LXXXII.

Primo loco se offerunt nobilia in hoc genere pacta, de modo ac Termino durationis Reditus, an scilicet ad tempus, an verò in perpetuum; deinde an sine facultate relutionis, vel cum eâ, præstari debeant; Ut &, an ista facultas in arbitrium Emptoris, vel Venditoris, vel utriusq;, conferatur. Sed quia de his jam supra, ubi de divisionibus agebamus, pertractatum est, nolumus crambem bis coctam cum morte Lectoris reponere.

C 3

73. De

LXXXIII.

De Justitia Eius pacti, quo Venditor ad restitutionem precii se obligat, si in solutione pensionum cesset, dubitatū aliquando est graviter, etiam in summo imperii tribunali. Sed frequentius placuit, ratum illud esse & legitimum. Id quod deputati Imperii Spiræ an. 1600. probarunt. D. R. de an. 1600. §. *Ferners ist bisanhero/ &c.* Et ita quasi everriculō quodam obviatum morosorum debitorum malitiæ.

LXXXIV.

Pactum, ut non solvente Venditore justo tempore, res, ex qua Reditus venditus est, committatur, sitq; Emptoris, vel pensionibus reliquatis, vel etiam pro ipso precio, frequens admodum olim fuit. Verū illud durum nimis adeoq; admittendum non esse ab æquo judice, existimamus, iisdem fermè de causis, quibus in pignoribus lex commissoria jure nostro improbat.

LXXXV.

E contra verò Pactum, ut pignus adjectum, non secuta solutione, autoritate judicis vendere liceat etiam pro recuperando capitali seu precio, juris rationi consonum est, cum etiam absq; eo esset, vigore legum idem permissum foret.

LXXXVI.

Pactum, quō Venditor, si mora committatur, ad obstagiū, vulgò *die Leistung/* vel *das Einslager/* se obligat, multis in locis receptum est, & observandum præcisè, neq; de jure communi prohibitum; Unde olim etiam in Romano Imperio, & adhuc per Ord. Polit. de an. 1548. tit. *von wucherlichen Contracten.* §. fin. admittebatur. Sed cum frequentes Obstagiorum abusus & damna aliud suaderent, novissimo jure, an. 77. Ord. Polit. Tit. 17. §. *Wiewol auch/ &c.* Sublata ea imposteriorum & irrita esse jubentur. Quod licet in plerisq; Germaniæ provinciis Status Imperii secuti sint, in quibusdam tamen illud hætenus obtineri non potuit.

LXXXVII.

Pacta Executiva, seu paratam Executionem habentia, Emptioni Redituum adjicere, hodie usitatissimum videmus, ut quoniam longo litium sufflamine eò deventum est, ut ordinarii processus pene imortales reddantur, compendiosiori via id quod no-
bis

bis debetur consequamur. Idq; licitum esse omni jure, non am-
bigitur. 13.

LXXXVIII.

Ex quo colligitur, Valere Pactum, quo Venditor in casum non factæ solutionis pensionum, Emptori facultatem dat, pro litu suo procedendi, & sibi ex pignoribus vel bonis satisfaciendi, juris viâ, vel sine ea, *Mit oder ohn recht*. Ista enim verba: *Ohn recht* non ita accipienda sunt, quasi quis sibi jus dicere possit, renitente imprimis adversario, sed quod potestas ipsi concedatur, instituendi processum Executivum; Illa verò: *Mit recht* ad ordinariam juris viam pertinent. Quæ interpretatio Pragmaticâ Imperii sanctione firmata est. Rec. dep. an. 1600. §. *Gleicher gestalt ist ge-
weiffelt/ &c.*

LXXXIX.

Deinde hinc inferitur, Valere Pactum, quo Venditor in casum moræ permittit, se, vel bona sua, arrestari, pignerari, vel sequestrari, usque dum Emptori satisfiat. Quamvis enim ista Executivendi media odiosa admodum sint, & non facilè ab initio à judice usurpanda, idq; in favorem Reorum, ne nimia festinatione pragraventur, huic tamen favori renunciari posse juris ratio suadet.

XC.

Imò amplius, si se obliget Venditor, quod intercedente morâ carcerem ingredi velit, tamdiu donec Emptori satisfiat, legitimū est & servandum hoc pactum; dummodo meminerimus, nolentem ingredi, non privatâ, sed judicis authoritate & officio cogendum, Et insuper Cessionis bonorum beneficio adhuc gaudere, eoq; carceris molestiâ liberare se posse, cui tamen contrariâ pactum consuetudine derogatum est.

XCI.

Illud quoq; pactum, quo Emptori permissum est, Venditoris morosi res, pro redivo obligatas, propria authoritate ingredi, tamq; diu detinere, donec plene sibi satisfactum sit, legibus non improbari, inde conficitur. Poterit igitur secundum ejus tenorem Emptor possessionem, invito etiam & contra denunciante Venditore, eodemq; debitore, apprehendere. Quod si tamen factū
etiam

etiam & corpore resistatur, ad vitanda scandala turbas & rixas Judicis officium implorabit.

XCII.

Solet & ad paratiorem Executionem pactum Emptioni Redituum non infrequenter adjici, quò Venditor foro suo renunciat, & se in casum non factæ solutionis cujuscunq; alterius Jurisdictioni subjicit. Sic etiam Status Imperii hodie plerumq; in Venditione Redituum, privilegio Austregarum non attento, se immediatè & in prima Instantia Camera subjiciunt, ne Emptores suum persecuturi multis ambagibus distineantur. Hujusmodi Renunciationes privilegiorum & Exceptionum fori vel Instantiæ, uti aliàs, ita & hîc admittuntur, si tamen principaliter Renunciantis, & non alterius favor in iis versetur. Hinc fit, quod si status aliquis adversus judicium aliquod, v. c. Rotwilense vel Spirense, privilegiatus sit, pro se & subditis suis, subditi renunciatione suâ nihil agant; Poterit enim Status iste vel per avocationem, vel per Exceptionem, eam annihilare; quod tota die Spire & Rotwilæ ita contingit. Et eadem ratio est in similibus.

XCIII.

Porro in Reditibus super certa re constitutis ita conveniunt plerumq; Contrahentes, ut non obstante casu fortuito calamitatis, sterilitatis, aut alterius damni, pensio plenè solvatur; quod adeo non reprobatur, ut etiam si illud pactum non interverit, tamen ad idem Venditor teneatur. Conf. infr. th. 129.

XCIV.

Tandem agmen claudat illud pactum, quo Venditor, ejusve heres, rem, super qua Reditus constitutus est, in scio vel invito Emptore alienare prohibetur; Quod rationi consentaneum adeoque validum esse, nemo facillè negaverit. Interest enim vehementer Emptoris seu Censitoris, scire qualem censum habeat. Et hoc in multis bene constitutis rebusp. etiam si de eo nihil convenerit, obtinet. Atq; hæc pacta pro Instituti ratione attulisse sufficiat.

XCV.

Cæterùm, sunt & alia Adjuncta Juris Reditus, hîc non negligenda, quale est primò Æstimatio; de qua propterea dicendū, ut

Æstima-
tio.

174.
sciatur, quanti illud putandum sit, tum in collectatione publica, tum in divisione hereditatis, aliisque casibus. Et in Romano quidem Imperio, quia quinque annua in centum legitime emuntur, pensio perpetui Reditus quinque e. g. aureorum, habetur pro aureis centum, utcumque majoris vel minoris olim empta sit. Et hoc aliquoties in contributionibus Imperii Comitiorum decreta secuta sunt. Unde si alibi aliud statutum sit precium, alia procul dubia ineunda aestimationis ratio.

XCVI.

Potest & deinde huc trahi Jus Protimiseos, quod ut in reliquis rebus, ita & ceteris concurrentibus, si jus annuorum Redituum vendatur, locum habere putamus, de jure communi consuetudinario; cum plerumque omnes rationes, quae illud jus introduxerunt in rebus Corporalibus, in Incorporalibus, adeoque Annuis Reditibus, non minus militent.

Ius Protimiseos.

XCVII.

Denique huc pertinet ista Qualitas, qua Reditus annui regulariter rebus Imobilibus ad censentur. Non ignoramus quidem, jura, tanquam res Incorporales, proprie strictaque loquendo, nec Mobilia nec Immobilia dici posse, sed quia doctoribus ita visum fuit, ex subdivisione, ad Res Corporales suam naturam pertinente, generalem divisionem exstruere, adeoque omnes omnino res ad alterutrum membrum revocare, sane Reditus annuos Immobiles res propiori lineam contingere, quam Mobiles, in aperto est.

Immobilitas.

XCVIII.

Neque nullius momenti aut de asini umbra haec est disputatio, cum permultum veritatem scire intersit ad judicandum, an e. g. alienatio licita sit, facta in Reditibus Ecclesiae, aut Minoris, alteriusve similis personae, quippe quarum res Immobiles non eodem per omnia jure censentur cum mobilibus, quoad alienationem. Nec minus faciet vera hujus rei cognitio ad interpretanda statuta seu consuetudines, quae defuncto aliquo alteri superstite Res mobiles omnes, vel certam earum partem, deferunt; ne quempiam aut justo lucro defraudemus, aut damnum faciamus incurere. Ut jam de pluribus aliis juris articulis taceamus.

D

99. Cx.

XCIX.

Cæterum dicta modo Theorica, quod Reditus annuus sit res Immobilis, limitatur à Dd. nostris notabiliter, si is super re mobili constitutus sit; tum enim & Mobilibus adnumerandum ajūt. Sicuti in simili Actiones, pro diversitate rerum, ad quas dantur, nunc inter Immobilia, nunc inter Mobilia, referunt. Et præterea excipiunt hinc pensiones, quarum dies jam & cessit & venit (nam de iis quæ cesserunt tantum, contrarium statuendum) Eas enim ad Mobiles res pertinere, crebrius placuit. Quanquam hæc Exceptio non videatur de Regula.

C.

EFFEC-
TUS.

I. Obliga-
tio.

Accedamus jam ad Tractationem EFFECTUUM. Isti ad duo genera revocari commodè possunt, Obligationem & Actionem. Obligationem hic aliquantò latius accipimus, non tantum pro vinculo juris, personam ad solvendum id obstringens quod debet, sed pro omni debito, ex quo Actio nobis nasci potest, prouti in definitione Actionis ista verba: *Quod sibi debetur*, generalius intelligenda sunt; & uti prædium dicitur debere servitutem.

CI.

Sciendum itaq;, non Vendentem duntaxat ex Venditione annuorum Redituum obligari ad præstanda ea quæ vel ex Naturalibus vel Accidentalibus hujus Contractus veniunt, sed & rem ipsam seu subjectum, super quo Reditus constitutus est, ita affici, ut ad quemcumq; possessorem onus illud impositum transeat, competatq; exinde, cæteris paribus, Emptori realis Actio. Eodem profus modo, quo alia similia jura realia subjectis suis in hærent affixa indelebili nota, ut lepra leproso, quo simili Dd. nostri uti solent.

CII.

Et hoc dubio caret, si subjectum Reditus sit res propriè dicta. Verum si super Persona iste constitutus sit, ambigitur à nonnullis, putantibus, hoc casu personalem tantum Obligationem nasci. Sed contrarium omnino verius est, scilicet, posse constituto & acquisito legitimè Redituum annuorum jure Personam debitoris ita affici, ut præter personalem Obligationem quasi jus quoddam reale nobis in ea competat, cujus vigore conveniri queat

Actio-

15.
Actionibus possessoriis & petitoriis, etsi vel maximè res nulla pro Reditibus præstandis supposita & denominata sit.

CIII.

Cæterùm, Principalis Obligatio eò tendit, ut Venditor eo- Ad Solu-
gatur Reditum annuatim præstare & solvere. Ubi Quæritur primò, tionem.
de Materia Solutionis, in qua scilicet Moneta facienda sit, si hanc mutari contigerit; Et dicimus, Si annuæ præstationis summa expressa sit generali aliqua quantitate, puta, tot vel tot floreni, libræ, marcæ, (quod & tum sit, cum certæ & majores species nummorum æstimantur & revocantur ad generalem hujusmodi quantitatem) aut aliàs appareat, nihil actum de certis nummorum speciebus præcisè solvendis, tum solutio regulariter annuatim facienda in proba & usitata pro tempore moneta, habita tamen ratione bonitatis tam intrinsecæ quàm extrinsecæ, quæ erat in dicta summa tempore contractus, ita ut ad illam proportionaliter fiat reductio, præsertim si aliàs manifesta oriretur iniquitas. Cæsentur enim partes ad præsens tempus respexisse, & pensionem emisse aut vendidisse ejus bonitatis quæ tunc erat, & quoad hanc precio respondebat justâ proportionem. Quicquid alii in speciem subtiliter contra disputent, invitâ æquitate.

CIV.

Quòd si certæ species nummorum, quasi corpora, ut Thalerus, Ducatus, Rosa nobilis, &c. in obligationem venerint, istæ præcisè requiruntur, nec cogetur Creditor alios, licet ejusdem metalli, ac multò minus diversæ materiæ, æstimationis aut bonitatis nummos accipere; Nisi vel moneta ista omnino non, vel difficillimè haberi possit. Tum enim contentus erit, si habitâ ratione intrinsecæ bonitatis cujuscunq; generis nummi alii, probi tamen, exhibeantur.

CV.

In reliquis casibus, si quid expressè convenerit, qui nummi, qua bonitate, pondere, aut æstimatione, quot annis solvendi sint, tum id servandum erit, quatenus non evidens exinde resultat iniquitas, atq; adeo incidat Contractus in Usurariam pravitatem. Sed tota hæc tractatio amplior est, quàm ut paucis Conclusionibus comprehendi possit, ideoque in alium locum eâ rejectâ ad reliqua pergamus.

D 2

Quæ-

CVI.

Quæritur igitur secundò, de Forma Solutionis; Si plures sint unius personæ, Reditum debentis, heredes, aut res, ex qua Reditus debetur, inter plures dividatur, an ab uno herede, aut unius partis possessore, tota pensio solvenda sit. Ad quod Respond. Negando regulariter. Quandoquidem enim obligatio hæc ut plurimum dividua est, sequitur pro rata quemlibet tantum teneri.

CVII.

Et tamen, quia opidò molestum est Creditori, præstationes in tot particulas, ut sæpe fit, scindi, hinc multis in locis, vel consuetudine aut præscriptione, vel expresso statuto, receptum videmus, ut debitores omnes uni alicui, quem Germani *den Träger* vocant, portionem suam conferant, isq; Creditori simul solvat, quod vocamus *auf gesampter vnzerteilter hand reichen*.

CVIII.

Tertiò Quæritur de Tempore, Quando solutio facienda, an principiò, an verò in fine anni. Et nisi de fine anni, ut plerumq; fit, disertè actum, aut consuetudine aliud alicubi receptum sit, vel ex vulgato versiculo: *Annua si debes &c.*, statuendum, principiò anni deberi. Quod igitur multò magis expresso pacto caveri poterit, licet nonnulli utroq; casu contrarium decident; Quomodo & Bulla Pii V. Pont. supra allegata, pactum anticipatæ solutionis tanquã Usurarium reprobat.

CIX.

Quartò Quæritur de Loco, Ubi solvendum, an scilicet debitor annuam pensionem ad domum creditoris ferre, an verò Creditor in loco domicilii debitoris, aut rei sitæ, eam petere cogatur. Vbi posterius, nisi consuetudo aut conventio obstet, regulariter dicendum putamus.

CX.

Ad alia.

Præter hæc ad alia nonnulla obligatur Venditor, ut puta, ad rerum Reditibus obnoxiarum, earumq; Confinium, demonstrationem; item ad Instrumentorum huc pertinentium editionem; Insuper ad præstandam Eviictionem; Nec minus tenetur nihil admittere in re oneratâ, quo Emptori generetur præjudicium; Et quæ sunt plura hujus generis alia.

Alterum

CXI.

Alterum Effectum diximus esse Actionem, qui Remotus 2. Actio. est, sicut prior ille propinquus, cum Obligatio mater Actionis audiat. Competunt autem in hac materia variæ Actiones, de quibus ordine breviter agemus, quoniam Thesium modum jam ferme excessimus, adeoque ad finem properandum habemus.

CXII.

Primò datur hîc Actio Personalis ex Empto, ad id ut debitor fidem contractus impleat. Idque potissimum, si jus reale nondum consecuti simus. Licet & postea eam intentare nihil impediat, si ita visum fuerit, ad solvendas pensiones, jure obligationis nobis debitas.

CXIII.

Deinde Realis actio competit, postquam scilicet Reale jus constitutum & acquisitum est; Eaque vocatur Confessoria; nam hanc non pro servitutibus tantum, sed & pro cæteris juribus realibus dari, saltem utiliter, cum communi DD. Ichola hic præsuppositum imus. Cujus iste est Effectus, ut contra annuam præstationem solvere recusantem, aut quovis alio modo turbantem, declaretur, Actori Jus percipiendi redditus competere, adeoque Reum nullo jure eum turbasse, sed pensiones præstare, & ab ulteriori turbatione, interpositâ idonea cautione, abstinere debere.

CXIV.

Et intentari potest hæc actio, non tantum contra ipsum Venditorem, ejusve heredes, sed & contra quemcunque extraneum, rei affectam & oneratam possessorem, etiam non excusso debitore. Neque solum eo casu quo Realis est Reditus, i. e. super re certa fundatus, sed & cum Personalis est, Personæ tantum inhærens. Et hæc quidem Actio in Petitorio locum habet.

CXV.

Porrò in Possessorio, quò potius uti plerumque Actori consultum est, datur primò Remedium Adipiscendæ quasi possessionis, Utile scilicet interdictum Salvianum, quò Creditor, Possessionem Juris Redituum nunquam nactus, (vel quia jam primùm contraxit, vel quia alteri successit) consequitur rei pro Reditibus oppignoratæ possessionem, isti fini, ut eam tamdiu retineat, donec

de præstationibus debitis ipsi satisfactum fuerit, atq; ita constituatur in possessione juris sui.

CXVI.

Datur deinde & Remedium retinendæ, Uti possidetis, contra quemcunq; turbantem nos quovis modo in jure & possessione percipiendi Reditus. Tum autem contra spoliantem, id est, pensiones solvere præfractè recusantem, aut vice nostrâ de facto eas percipientem, aliove modo jure nostro, quantum in ipso est, nos privantem, competit Interdictum recuperandæ, Unde Vi, Seu Actio spoli.

CXVII.

Sed in eo nonnulla versatur difficultas, quid inter Turbationem & spoliationem hoc casu intersit; Quod ita fortè distinguere poterit, ut si Emptor ita turbetur, ut desperet se contra nitendo possessionem suam amplius tueri posse, adeoq; possidendi animum abjiciat, tum dicatur spoliatus; aliàs verò æstimetur simpliciter turbatus.

CXVIII.

Ulterius jura suppeditant Emptori Redituum Actionem Quasi Servianam seu hypothecariam, si res aliqua pro Reditibus oppignorata sit, tam ante constitutum reale jus, quàm postea, & tam contra omnem possessorem hypothecæ, excusso tamen prius principali, quàm ipsum oppignorantem.

CXIX.

Tandem non ordinarius modo processus, sed & summarius & Executivus in hoc articulo institui potest, idq; variis modis, puta aut Arrestatione, sequestratione, pignoratione, immissione, &c. aut inchoando statim à præcepto; vel quia ita inter partes convenit, insertis obligationis Instrumento prægnantibus & sufficientibus ad hunc Effectum clausulis; vel quia factum ita qualificatum sit, ut desuper Mandatum s. c. auff die vier säll/ aliove modo, extrahi possit, Prouti hujus generis Mandatis nihil vulgatius est in Camera, hodie præsertim, in tanta hominum malitia, cui vix omnia tribunalia sufficiunt. Unde & ibidem plerumq; licet Rei condemnati frequenter Revisionem petere consueverint, eo non obstante, vigore S. C. t. facti anni 1618. paritio injungitur

tur

17.
tur denuò, ne in morosorum debitorum potestate sit, ingenti vi-
ctricis partis damnò sententias frustrari, Executionesq; promif-
cùè suspendere.

CXX.

Præterea de his Actionibus generatim notandum venit, non
ad præteritas tantùm, sed & futuras pensiones rectè agi, licet dies
earum nec dum venerit; non quidem ita, ut statim repræsenten-
tur, sed ut Reus condemnetur eas solvere, cum dies venerit. Neq;
propterea aut iudicium super eo erit quod nondum debetur, aut
Actor incurret pœnam plus petitionis; cum istud debitum futu-
rum ex eodem fonte & origine dependeat cum præsentis, adeoq;
simul cum eo tanquam unitum peti possit. Sic in Camera Man-
data f. c. ad solvendum decernuntur, super præteritis simul & fu-
turis pensionibus, Quibus si pareatur, factâ solutione præterita-
rum, eamq; paritionem Actoris Procurator acceptet, solet in fine
Recessus annectere: daß er ihm auff den fall fernern seumfalls ul-
teriora wolle vorbehalten haben. Innuens scilicet, nisi & imposte-
rum solutio fiat, se ex eodem Mandato ad eandem pœnam actu-
rum, quasi plenè paritum non sit. Idq; ad minuendos sumptus
apprimè conducit.

CXXI.

Ultimo loco observandum & hoc, recensitas Actiones va-
riè cumulari posse. Nam primò Actio Confessoria rite cumula-
tur in uno libello cum Interdicto *Vnde Vi*, quippe quæ se invicem
in nullo destruunt. Deinde eadem cumulat cum Interdicto *Uti*
possidetis. Licet enim in Corporalibus hoc concessum sit, acri-
ter disputetur, propterea quod ratio non videatur admittere, ut
idem & possidere se dicat, & ab altero tanquam possidente petat.
in Incorporalibus tamen id minus habet difficultatis, cum Con-
fessoria agens ipse possidere possit.

CXXII.

Hoc amplius, Actionem Confessoriam cum Personali ex
Empto rectè cumulari nonnulli tradunt, ita ut illa quidem prin-
cipaliter ad Jus Pensionum vindicandum, hæc verò ad ipsam pen-
sionum præstationem obtinendam præcipuè, atq; adeo utraque
ad diversa tendat. Hypothecariam verò cum Personali benè con-
jungi,

jungi, saltem alternativè, & valere hoc casu Libellum alternati-
vum, apud omnes in confesso est. Quæ etiam ratione quotidie in
hac materia Spiræ Mandata extrahuntur, s. c. ad solvendum vel
dimittendum hypothecam.

CXXIII.

COGNA-
TA.

Satis de Effectis, videamus etiam paucissima de COGNATIS
Reditus annui.

Talia sunt, Censuræ reservativæ, Ususfructus, Antichresis, Em-
phyteusis, Feudum, aliaq; similia realia jura, utilitatem aliquam
adferentia; Quæ quibus in rebus ab hoc jure nostro differant,
nimis prolixum foret sigillatim recensere, & attigimus jam supra
nonnulla in definitionis Explicatione.

CXXIV.

Inter alia autem Cognata maximè eminet Fœnus, seu Mu-
tuum cum stipulatione Usurarum, statim, etiam extra casum mo-
ræ, debitarum. Ut ut enim verum sit, quod supra latè propugna-
vimus, neq; adhuc dum mutamus, Emptionem annuorum Redi-
tuum Fœnus non esse, negari tamen nequit, intercedere maximã
inter hæc duo cognationem, præsertim in Reditibus pecuniariis.
Hinc fit, quod contractus iste in multis censeatur admodum odi-
osus; quodq; plurima quæ de Usuris earumq; prohibitione vel
coarctatione statuta sunt, ad hunc Contractum trahantur, dica-
turq; vulgò Usuraria pravitas, si quid contra justitiam cum enor-
mi læsione in eo admittatur. Et ex eodem fonte dimanat, quod in
multis controversiis, circa hunc contractum obortis, argumen-
ta petantur à natura Mutui, quasi quod ejusdem penè cum illo
naturæ sit ac indolis. Hinc etiam Termini modiq; loquendi ad
Mutuum propriè pertinentes, nostro Contractui frequenter ap-
plicantur, ut: Sors, Capitale, Interesse &c. Idq; non à vulgo tan-
tùm, sed & ipsis Jctis & Legumlatoribus.

CXXV.

Cæterùm, quia omne Simile est etiam dissimile, reperire est
multas easq; insignes inter hæc differentias, quarum tres quatuor
tetigisse suffecerit. i. In Fœnore Creditori nullum competit jus
reale, neq; ad sortem, neque ad Usuras, sed tantùm Personalis
actio; quod in Emptis Reditibus annuis & acquisitis secus esse,
suprà

suprà patuit. 2. In Mutuo Usuræ debentur tanquam accessoriũ
fortis; cùm in Empt. an. Red. pensiones veniant non tanquam mi-
nus principale & accessio, sed tanquam debitum principale.

CXXVI.

3. Hinc fit, ut cum ex Jure civili Usuræ Usurarum regula-
riter deberi nequeant, ne quidem si in sortem per stipulationem
deductæ sint, ne scilicet detur accessionis accessio; attamen in Re-
ditibus annuis, si mora committatur, usuræ ex pensionibus non
solutis, tanquam ex principali debito peti queant, 4. Et licet ju-
re civili cùm Usuræ sortem adæquarunt, illæ sistantur, & debitor
ultra alterum tantum solvere non teneatur; tamen in Reditibus
annuis etiam Justiniano jure, aliter constitutum est, scilicet
quia isti Usurarum nomine non censentur.

CXXVII.

5. In Annuis Reditibus, si res certa (v. g. fundus,) super
qua jus illud fundatur, intereat, ipsum jus simul interit, nec de-
bitor tenetur acceptos nummos seu precium unquam restituere:
In Mutuo cum Usuris fors semper repeti potest, cum quantitas
nunquã censeatur interire. 6. In Mutuo fors ita datur, ut regula-
riter cum libuerit Creditori, eam repetere possit, invito licet De-
bitore, quamvis, ut Dd. loquuntur, non statim debeat venire cum
sacco: In Reditibus annuis precium alienatur regulariter in omne
tempus, nec invito debitor repeti potest, quamdiu is pensiones
solvere voluerit.

CXXVIII.

Postremo loco sequuntur jam PUGNANTIA. Inter quæ pri-
mò numerantur omnes conventiones prohibitæ & reprobatæ,
seu Usurariæ, ut vocant, pravitates, quas ex præcedentibus hinc
inde colligere in proclivi est. Deinde pertinent huc modi solven-
di & Extinguendi Jus annuorum Redituum, qui varii esse possunt;
eorum nonnullos afferemus.

PUGNAN
TIA.

1. Usurariæ
pravitates

2. Modi ex-
tinguendi
Reditum.

CXXIX.

Primò se offert Interitus rei, ex qua Reditus debetur; Nam
cum Reditus jus sit in re, eâ sublatâ & ipsum tolli necesse est. Idq;
in Reali reditu omnimodo ita procedit. Quod si tamen pro parte
intereat res, reliqua pars pro toto reditu adhuc tenetur, quatenus

Interitus
rei.

E

sci-

scilicet ad illum sufficit. Simili ratione, si salvâ quidem substan-
tiâ, res tamen in qualitate sua ita deterioretur, ut planè ac perpe-
tuò reddatur infrugifera ac sterilis, ita ut nullum sui usum præ-
bere possit, Reditus peribit. Si verò aliquot annis ob insignem
aliquam calamitatem, aliamve causam, fructus non ferat, pensio
propterea remittenda aut minuenda non est, exstricta juris ra-
tione. Sed & si culpâ aut dolò debitoris res pereat aut deteriore-
tur, non continget liberatio, sed vel cogetur in re alia Reditum
constituere, vel solvere quanti Interfuit creditoris deterio-
rem rem factam non fuisse.

CXXX.

In Personali Reditu, aut Mixto, quatenus is super Personâ
fundatur & in Personalem tandem resolvitur, ita juris est, ut Per-
sonâ debitoris extinctâ, onus transeat ad heredes, aut qui eorum
loco sunt; quorum si nulli adsint, ipsum Jus Reditus peribit Cre-
ditori, qui tamen in bonis relictis cum aliis Creditoribus concur-
ret, uteturq; jure suo ad precium recuperandum. Quod idem
dicendum, licet persona non extinguatur, aut heredes non de-
ficiant, si modo debitor amplius solvendo non sit, ita ut bonis
cedatur, aut ea aliâ à Creditoribus autoritate judicis posside-
antur ex hac causa.

CXXXI.

Ista verò re, quæ vel hypothecæ loco, vel determinandæ so-
lutionis tantum causâ, adjecta est, sublatâ, Jus Reditus non inte-
rre, in aperto est, quippe super qua illud non fundatur.

CXXXII.

Eviçtio. Deinde Eviçtione rei, ex qua debetur, perit Reditus. Quia
enim constituens non potuit plus juris in alium transferre quàm
ipse habebat, & jam manifestû evadit, non competiisse ipsi jus im-
ponendi rei tale onus, sequitur, nec accipientem eo gaudere pos-
se. Tenebitur tamen hoc casu debitor ad præstandum Interesse,
hoc est, ad restituendum precium.

Reluicio.

CXXXIII.

Tertiò, freques & nobilis modus finiendi jus Reditus est
Reluicio seu Reemptio, cum scilicet is qui hæctenus pensiones
solvit, ut ab istoc onere imposterum se liberet, precium olim ac-
ceptum

ceptum restituit. Idq; illum facere posse pro liberrimo arbitrio, supra jam aliquoties dictum est. Et si Creditor seu Emptor locum dare recuset huic Reemptioni, poterit debitor seu Venditor premium realiter oblatum consignare ac deponere, atq; ita cursum pensionum sistere, jus hypothecæ dissolvere, & periculum amissionis pecuniæ in adversarium transferre. Sed & intentatâ actione debitor cogere poterit creditorem ad acceptandum premium, quod aliquando facere expedit, ut scilicet res exitum sortiatur, atq; ita plenissimè debitor liberetur.

CXXXIV.

Quo loco renascitur jam supra quodam genere decisa Quæstio; si monetæ mutatio contigerit, in qua bonitate relutio facienda, eane quæ erat tempore Emptionis-Venditionis (Contractus) an verò eâ quæ est tempore Relutionis (solutionis) Quare & superius th. 103. & seqq. allata in hunc locum, factâ debitâ applicatione, transferri poterunt.

CXXXV.

Præterea illud Quæritur, an, si pacto interposito convenierit, ut in facienda Relutione majus premium solvatur, quam in Venditione acceptum fuerit, illud hodiè in Rom. Imp. validum sit. Et quanquam in aliarum rerum Empt. Vend. id sustineatur propter incerta rerum precia, in nostra tamen specie minimè concedendum putamus, propter certam & duraturam annuorum Reditum æstimationem, publicis legibus inductam, quam transgredi sine Usuraria pravitate non licet.

CXXXVI.

Ex adverso, si de Reemptionis precio nihil convenerit, premium Emptionis tacitè repetitum existimamus, tum quia hoc utriusq; partis respectu minimum continet iniquitatis, tum quia idem utrobique premium expressè plerumq; Statuitur, ut ita contrahentes, dum nullam ejus rei mentionem fecerunt, intelligantur se ei accommodasse quod ut plurimum sit.

CXXXVII.

Illa etiam Quæstio hic commodè refertur, An huic Juri Reluendi seu Reemendi annum Reditum, spacio 30. annorum præscribatur. Quæ licet de pacto Retrovendendi in genere, ut &

de Reluitione pignoris, vexatissima sit, Negativam tamen, utpote communiorem, & in Camera receptam sententiam sequemur. Quod in annuis Reditibus eò minus difficultatis habet, quia hoc casu de mente Legislatorum Satis apertè constat, dū ad consuetudinem communem se referunt in allatis suprà textibus, ibi: *Wie widerauffss recht* / quæ sanè tanquam optima legum interpretes Reluitionem etiam post 100. annos hæctenus admittit.

CXXXVIII.

Insuper de Reluitione hoc notandum, eam pro toto Reditu simul, non per partes, fieri debere. Creditor enim particularem solutionem, uti aliàs, ita & hic, accipere non tenetur. Unde & pactum hujus tenoris, quod frequentissimè à Contrahentibus apponi solet, tanto magis probandum est. Quod si tamen contrarium placuerit, & illud observari convenit.

CXXXIX.

Cæterum Reluitionem plerumque præcedit denuntiatio, *die Auff, oder Losfundung* / de ea igitur si expressè convenerit, ut ante Reluitionem, e. g. intra trimestre, vel semestre, fiat, pactum hoc præcisè servandum est, ita scilicet, ut precii restitutio citius quidè fieri possit regulariter, pensio tamen pro residuo temporis spacio adhuc veniat præstanda. Si verò nihil super ea constitutum sit, Relutio quocunq; anni tempore fieri poterit, nec necessariò aut finis anni expectandus, aut pensio integra solvenda est, sed suffecerit pro rata anni portione eam numerasse.

CXL.

Semel autem factâ denunciatione & acceptatâ, non licet resiliire, ne potestas cuiquam detur mutandi consilium suum cum alterius damno; siquidem Creditoris plurimum interesse possit, Reluitionem potius fieri quam omitti.

CXLI.

Tempus.

Quartò, alius modus finiendi Reditum, est Tempus, si scilicet ad illud constitutus sit, casu quò id ipsum legibus permittitur. Hinc Reditum emptum ad vitam, morte Emptoris interire & extinguì, dubium nullum est, quandoquidem hîc verè locum habet illud, *Mors omnia solvit*.

Pro colophone videndum de Præscriptione, 30. annorum, an & illa sit modus finiendi Reditum. Et sanè est ea gravissima controversia, an & quatenus in Annuis præstationibus currat præscriptio. Dum alii præteritis tantùm, à quarum solutione per 30. annos cessatum est, præscribi, reliquis verò, & futuris minimè, indistinctè arbitrantur; Alii verò hoc concedunt quidem eo casu quo simpliciter cessatum, neq; jus negatum, adeoq; libertas non quasi-possessa est; eo autem casu quo Debitor jus hoc Creditori competere negavit, atq; ex eo per 30. annos (cæteris concurrentibus) nihil solvit, diversum statuunt, scilicet, libertatem à præstationibus præscriptam esse, in totum, etiam quoad futuras. In quo opinionum conflictu posteriorè partem nonnulla tribunalia approbant; Priorem verò Camerales sequuntur, testibus Gail. & aliis. Quibus si & nos calculum nostrum damus, concludendum, Jus annuorum Redituum præscriptione 30. annorum non tolli.

P A R E R G A.

I.

Venditor cogitur rem Venditam præcisè tradere, si ejus facultatem habeat. Contra Donell.

II.

Periculum rei Venditæ neq; dum traditæ, ad Emptorem pertinet. Contra Cujac.

III.

Emptione perfectâ non licet ab ea resilire sub nuda arrharum amissione, vel dupli restitutione.

IV.

Pactum de retrovendendo, non afficit rem ipsam.

§. Fœnus

V.

Fœnus, in thesi loquendo, est licitum Iure Divino & Naturali. Contra Canonistas.

VI.

Novissimò jure in Mutuo Usura debentur à tempore mora.

VII.

Investitura abusiva non dat Vasallo jus in re, sed ad rem.

VIII.


Vasallus debens ex feudo domino suo annuam pensionem, si eam non solvat, Q. an amittat feudum. D.

F I N I S.

X 2615926

VD 17





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

AE

XII

1630/4

↑

IBUS
ATIS.

Actorum
um

IN UTRO-
GIIS,

RTH,

z.

Clarissimus

